

teros de Clero; vt fieri non possit quin doctrina Geneuensium malè palato eius sapiat, quam profitentur homines in re & sorte tenues, & immensum quantum infra dignitatem & pompam Episcopalem subsidentes. Estque eo maius quod sub voce *Novatorum* latet virus, quòd per eam insinuet Geneuensem Ecclesiam ab Ecclesia Romana & Apostolica descuisse, cui etiamnum hodie adhæret Ecclesia Anglicana. An ideo sunt Nouatores, quòd reformationem non instituerint ad exemplar Ecclesiæ Anglicanæ? At Geneuenses longè ante nomen dederunt vero Dei cultui, quàm de reformatione in Anglia quicquam agitaretur. An verò Geneuenses id nominis merentur, quòd à se semel posita circa fidem & cultum externum postea conuellant, & prius à se orsa detexant, aut quòd noua subinde eis placeant in Religionis negotio? At id vitium est Montacuto, eiusque collegis, quibus solemne est, pro re nata, dogmata iam pridem explosa arripere, vel abicere, quique solent Religionem inflectere ad ambitionem suam, & attemperare ad præsentem rerum ciuiliū conditionem.